



Forum Ecclesiasticum

In Quo Jus Canonicum Universum, Librorum Ac Titulorum Ordine Per Quæstiones Et Responsa, Tam Canonistarum Veterum & Recentiorum, quàm Legistarum, in iis, quæ Utrique Juri, Canonico Et Civili Communia Sunt, Authoritate stabilita, Methodo clara & facili explanantur

Leuren, Peter

Moguntiae, 1720

Quæst. 98. Qualiter filii cogi possint à parentibus ad Matrimonium.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-73973](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-73973)

nisi hæc adessent, non contraheret. Quia tamen finis ipsius operis huius non excluditur, horum bonorum consecutio reputari debeat, non tam finis operis, quam motivum impulsivum seu excitativum illius.

Quest. 96. Consensus matrimonialis qualiter debeat esse liber à metu, & num is reddat matrimonium invalidum.

Resp. Tametsi in aliis contractibus metus gravis injustè incuslus nullitatem ipso iure non inducat, sed ad summum reddat rescindibilem, inducit tamen eam in matrimonio, *c. cum locum. c. veniens. h. 2.* Ratio est, quòd alii contractus, etiam validi, rescindi possunt auctoritate Judicis; matrimonium tamen semel validum nullà auctoritate humana rescindi potest. Secus tamen est, si metus sit justè ac licitè incuslus; eò quòd tunc metus non tam infertur ab extrinseco, quam ab ipso patiente metum, qui illius causam dedit. Neque tam incutitur metus ad extorquendum contractum, quam contractus proponitur ut medium vitandi metum, seu potius malum intentatum, cujus ipse causam dedit. Sic dum quis obligatus est contrahere matrimonium, vel quia promittit illud; vel quia defloravit mulierem, potest justè cogi intentatis gravibus pœnis contrahere matrimonium, illudque ex metu talium pœnarum contractum erit validum. Porro coactus contrahere matrimonium, si verba proferat animo se obligandi, etiam si cognoscat, se obligatum non esse, nullum committit mendacium, cum idem, quod habet in mente, verbis proferat, vult enim, quantum est ex se, obligare se, & hanc voluntatem verbis explicat. Nullam quoque Sacramento irrogat injuriam; quia contractus metu extortus irritus est, & consequenter neque materia, neque forma Sacramenti esse potest; Secus ac contingit, dum quis cogitur proferre formam Sacramenti super materia indebita; cum formam ejus irritam faciat, uti Sanch. aliis relatis. *l. 4. d. 16. n. 6.* Si verò verba non verè, sed fictè proferat, nulla retenta mentis restrictione, committit peccatum leve mendacii, quia non tenetur consentire, à quo peccato, ut Castrop. *p. 12. n. 3.* facile excusari possit, si cum æquivocatione restrictioneque intellectus illa verba proferat.

Quest. 97. Quæ pœna injustè cogentium subditos ad matrimonium minis & terroribus?

Resp. Tridentinum *Sess. 24. cap. 9.* dominos temporales id facientes punit anathematis pœnâ ipso facto incurrendâ, importarique hæc pœna non quandam solennem maledictionem, sed veram excommunicationem, sicut aliàs solet nomine anathematis intelligi excommunicatio major. Sanch. *l. 4. d. 22. n. 8.* Castrop. *l. c. n. 5.* Feriuntur autem hæc pœnâ solum domini temporales; habentes jurisdictionem in foro sæculari; cum hi, qui ex officio proprio tenebantur subditos à coactione tueri, coactionem infertunt, meritò præ aliis puniantur. Unde hæc excommunicationem non incurrunr parentes cogentes filios ad matrimonium, neque Parochus, neque Episcopus, qui dominus temporalis non est. Sanch. *n. 9.* Castrop. *l. c. Gutt. c. 79. n. 12.* neque Rex, neque Imperator, eò quòd licet domini temporales sint, debebant propter eorum dignitatem necessariò excipi. Castrop. Sanch. Gutt. *ll. cit.*

Quest. 98. Qualiter filii cogi possint à parentibus ad matrimonium?

1. **R**esp. primò: Si filii aliàs non tenentur contrahere matrimonium, sed volunt religionem vel cælibatum eligere, ne quidem leviter possunt à paren-

tibus ad matrimonium cogi, aut obligari; quia injusta est obligatio electionem status melioris impediens, Sanch. *d. 23. n. 4.* Gutt. *n. 17.* Castrop. *n. 6.* Si verò filii teneantur ad matrimonium, quia vel promiserunt, vel quia id necessarium, ut gravi parentum necessitati succurratur, aut alia de causa, possunt à parentibus coactione moderatâ ad id obligari; quia parentes possunt obligare filios, ut debitis jure naturæ satisfaciant. Gutt. *n. 16.* Castrop. *cit. n. 6.*

2. **R**esp. secundò: Si filii neque dictam obligationem contrahendi matrimonii habent, neque volunt religionem aut cælibatum eligere, per se adhuc cogi seu obligari nequeunt à parentibus ad matrimonium illud, quod parentes v. g. promiserunt, vel volunt. Gutt. *n. 15.* Sanch. *l. 4. d. 23. n. 3.* Castrop. *n. 8.* contra Bellarm. *de matr. l. 1. c. 19.* Nav. *in sum. c. 14. n. 15.* Rebell. Rodriq. & c. eò quòd matrimonium sit perpetua quædam servitus, gravissima secum ducens onera, quam non est conveniens aliena voluntate subire, maximè cum ea debeat constitui amore mutuo conjugum, qui ratio habetur ex matrimonio aliena voluntate contracto. Neque obstat *c. 1. de despons. impub.* ubi de matrimonio à parentibus promisso inquit Papa: *Et postquam filius pervenerit ad perfectam ætatem, debet hoc omnino adimplere:* nam rò debere non est de præcepti, sed de honestatis debito accipiendum propter subjctam materiam, quæ summam libertatem importat, juxta *Gl. ibid. & Host. in fine.* Possunt nihilominus per accidens quandoque filii ad hoc obligari ex lege v. g. caritatis, dum præsumunt ob spretam parentum voluntatem odia, rixas, aliaque gravia inconvenientia oritura. De cætero, quod communiter tradunt AA. cum Sanch. *d. 23. in fine,* obligatos esse sub gravi culpa filios expectere saltem consilium parentum, eò quòd censetur gravis contemptus spernere consilium eorum in re gravi, quibus à natura incumbit prospicere bono filiorum, id ad summum, inquit Castrop. *l. c. n. 11.* dum filii indifferentes sunt ad hoc vel illud matrimonium; Secus, si jam ad unum determinatis, quia frustra tunc petitur consilium; imò gravius id tunc offensionis causa esse possit.

Quest. 99. An parentes filium aut filiam nubentem contra eorum voluntatem possint exheredare, aut ei dotem negare.

1. **R**esp. ad primum; Filiam nubentem indigno invititis parentibus jure saltem communi non posse exhereditari, nisi fortè 25. annos necdum attingerit, & luxuriosam vitam ducat, relicto matrimonio ei à parentibus proposito, juxta *auth. uicunq. de appell. cognosc. §. aliud quoque.* Probabilius quidem cenet Castrop. *cit. p. 12. n. 12.* censent quoque Covarr. *p. 2. de matr. c. 3. §. 8. n. 5.* Azot. *p. 1. l. 2. c. 25.* Sanch. *l. 4. d. 25. n. 2.* Vafq. Hurtad. & c. leges similes loquentes de pœnis appositæ contrahenti matrimonium contra rationabilem voluntatem parentum repugnare Juri Canonico, eò quòd id libertatem suam in matrimonio contrahendo requirat; ideoque pœnam sponsalibus adjunctam annullat. *c. gemma. l. c. exhereditatio autè sit gravissima pœna.* Ad hæc condere leges circa matrimonium, & de illarum observatione judicium ferre sit potestatis ecclesiasticæ, non civilis. Nihilominus idem Castrop. *n. 14.* cum Claro *pract. 4. 82. n. 12.* Pont. *de matr. l. 2. c. 1. n. 29.* Molin. *de just. tr. 2. d. 176. n. 24.* Rebell. *de matr. q. 14. f. 3.* & aliis, quos citat, tanquam probabilius defendit contrarium; eò quòd appositio pœnæ filie nubenti contra rationabilem voluntatem parentum, maximè si nubat indigno, & vitam luxuriosam ducat, non sit causâ matrimoniales judicare, neque